

Navagero, Andrea, 1483 - 1529

A N D R E Æ
N A U G E R I I
P A T R I C I I V E N E T I
O R A T O R I S E T P O E T Æ C L A R I S S I M I
O P E R A O M N I A ,

Que quidem magna adhibita diligentia colligi potuerunt.

C U R A N T I B U S

J O . A N T O N I O J . U . D . E T C A J E T A N O V U L P I I S

B E R G O M E N S I B U S F R A T R I B U S

D E L I T E R A R I A R E P U B L I C A O P T I M E M E R I T I S .



V E N E T I I S ,
M D C C L I V .

E X T Y P O G R A P H I A R E M O N D I N I A N A ,
S U P E R I O R U M P E R M I S S U , a c P R I V I L E G I O .



ANDREÆ NAUGERII

PATRICII VENETI

ORATIO HABITA IN FUNERE

BARTHOLOMÆI LIVIANI.



SI, quantum in me doloris est, tantum esset ingenii: sperarem profecto, parem me BARTHOLOMÆI LIVIANI laudibus orationem habiturum. Quum vero ingenium vel minus etiam, quam mediocre, sit: tantus autem mentem dolor opprimit, ut is vel maximi cuiusque ingenii vires possit infringere; si quidem flendum sit, nullus me magis idoneus: si præclarissimæ maximi hujus Imperatoris laudes celebrandæ, nullus minus reperiri potest. Sunt illæ quidem tam illustres, ut omnium oculos in se trahant: ut nemo sit, qui eas non videat; quoties tamen mihi in mentem venit, quam alieno hic tempore nobis eruptus sit, concidit animus: quæcumque dicere institui, e memoria omnia dilabuntur. Dolere solum juvat. doleo meo, doleo ipsius, doleo Reipubl. nostræ, doleo bonorum omnium, qui ubique sunt, nomine.

A 2

Meo,

Meo, quod illum, qui me unice amabat: quem ego velut instar quoddam antiquitatis admirabar: tum, quum minime id timerem, amisi: Ipsius, non quod mortem obierit (ea enim conditione natus erat, ut aliquando moreretur) sed quod, quum unum maxime expeteret, unum a Dñs immortalibus votis omnibus optaret, ut Reipublicæ nostræ in eum gradum restituere imperium posset, ex quo proximis bellis collapsum erat; quum jam prope esset, ut id perficeret, subita morte interceptus, voti compos fieri non potuerit: Reipublicæ nostræ nomine doleo, quod, quum illa, hoc gubernante, e maximis, ac turbulentissimis tempestatibus sæpe servata, portum jam aspiceret; erepto malo quoddam fato gubernatore, medio in cursu sit relicta. Substituitis vos quidem, Patres optimi, fortissimum, ac sapientissimum virum, quo ad gubernaculum sedente, omni timore vacui esse debetis; interruptus tamen est cursus ille, secundus ille flatus deseruit; multæ possunt in infido hoc mari existere tempestates, quæ, si non submergere, at perturbare tamen res nostras queant. Jam vero tantum in illo bonis omnibus præsidium semper fuit, ut, hoc uno amisso, omnia mihi jam amisisse videantur. Hæc ipse quum mecum cogito, communemque hanc jacturam ante oculos mihi propono; ita succumbit dolori animus, ita avocatur ab instituto suo mens, ut quo me vertam, quod principium sumam, nesciam. In vos quidem universos quum intueor, tristem mihi quamdam ipsius mœroris faciem videre videor. doletis omnes, mœsti estis omnes; sed quo magis doletis, hoc diligentius funus ducitis: honores mortuo, quos potestis, redditis: frequentes ad me audiendum coitis. ita vos ad ea, quæ debetis, præstanda dolor adjuvat: mihi ad ea, quæ debeo, maximo est impedimento. Cohibebo eum igitur; nec committam, ut minus ego gratus in meo obeundo munere, quam vos in vestro estis; fuisse videar. Solent omnes, qui quempiam laudant, quasi præscripto quodam, patriam, genus, educationem illius laudare; neque, id quum faciunt

ciunt, sine certa ratione faciunt. Ut enim plantæ, quum bono e genere lectæ, feraci solo depactæ, frequenti adjunctæ cultura sunt, tum demum uberes fructus ferunt: sic in hominibus, cæterisque animalibus, genus, patria, educatio, multum refert. Quod quamquam ita sit, aliam tamen ego quamdam in Imperatore hoc nostro rationem sequar. omnia, quæ vere alicujus dici non possunt, prætermittam: animi virtutes, quæ illius, in quo intunt, vere esse dicuntur, eas dicam. Neque id a me tamen eo fieri arbitramini, quo is ignobili patria ortus, obscuro genere natus, male educatus sit; sed & majora sunt ea, quæ mihi proposui, & hæc si persequar, longior sim, quam aures vestræ pati possint. Quid enim? ROMAM laudem? at ea, si brevitati consulero, multis laudibus defraudanda: si omnia explicare voluero, vel perpetua multorum scripta repetenda. de LIVIORUM genere dicam? unus *Salinator* totum diem exposceret. Possem equidem de *Francisco Bartholomæi* ipsius patre, fortissimo, & clarissimo suæ ætatis viro, dicere; sed nolo ex hoc rivulo in id flumen laudem derivare, ex quo in ejus majores laus maxima redundat. At pueritia sub *Napoleonis Ursini* disciplina acta, sub *Virginii* adolescentia, commemoranda. ad majora festino. Ego quum agrum secundum video, etiamsi, ut cultus sit, nescio neque agricolæ laborem conspicio; ex ipso tamen fructu bene cultum judico: vos item, quum maximarum virtutum proventum, qui vere animi fructus est, videritis, bene cultum animum existimare debetis. his ergo omnibus jam relictis, ad ea, quæ mihi dicenda proposui, veniamus. Sæpe ego mecum (quod & vestrum cuilibet sæpenumero evenire arbitror) ea, quæ de veteribus memoriæ mandata sunt, repetere soleo. quum magnos illorum temporum viros ante oculos mihi proposui; præclaros quidem multos, multos omnî laude dignos invenio: sed unus est *C. Caesar*, quem admirer. ac fuit, quum multa, quæ de eo dicerentur, ficta esse arbitrarer, neque tot tam diversorum gene-

rum virtutes cadere in unum hominem posse censerem. hanc mihi *Bartholomaeus Livianus* incredulitatem ademit. *Casarem* ille omnibus, quicumque unquam fuerunt, Imperatoribus anteponebat: *Casarem* maxime imitabatur. felicitatem assequi ejus non potuit (neque enim hoc in nobis est): virtutes ita assecutus est, ut nemo unquam illi similior fuerit. Ac ne mihi hoc loco ea, quæ de *Cæsare* scripta sunt, sint repetenda; quæ in hoc fuerunt, dicam: vos ea, quæ legistis, taciti subjicietis. Primo quidem, quoniam de Imperatore loquimur, imperatoriæ omnes virtutes ita summæ in hoc fuerunt, ut in nullo magis. Consilium in Imperatore summum esse decet; nisi enim, quæ agenda sunt, prius consuluerit: casu quasi quodam res ejus omnes ferantur, necesse est. neque hoc tamen satis. quum recte quidpiam consultum est, tum industria etiam quædam, ac celeritas ad id perficiendum requiritur. Quantum in ambobus his fuerit Imperator noster, e multis præclarissimis rebus ejus gestis licet cognoscere. sed ego omnia non persequar; pauca quædam perstringam. Bello illo, quod inter *Gallos* atque *Hispanos* super *Neapolitano* regno acerrimum fuit: eo prælio, quod ad *Lirim* gestum est, *Hispanis* adfuit. longe superiores numero *Galli* erant: objecerant se tamen illis *Hispani*, quo transitu fluminis prohiberent; sed quum hostium quotidie vires crescerent, nemo prope in toto exercitu erat, qui non ab incepto desistere, & munito se loco continere tutius arbitraretur. Unus hic id sensit, quod solus nostra ætate ob res gestas *Magnus* dictus, tunc *Hispanorum* Imperator, & secutus *Consalvus* est, & ei, ut perficeret, commisit. itaque ille pontem in *Liri* paucissimis diebus, semota quadam parte, tam secreto, ut id *Galli* nunquam rescierint, conficit: maximo silentio exercitum traducit: hostes viribus suis confidentes, ac nihil tale suspicantes, de improvviso adortus, in fugam vertit. tanta cædes facta, ut, qui e bello superfuerint, deditionem facere coacti sint, hoc ob facinus, ab egregio illo, ac maximo Imperatore ita lau-

BARTH. LIVIANI.

laudatus est, ut multa etiam præmia & ab illo, & ab Rege postea ipso consecutus sit. Sed quid ego ea, quæ pro aliis gesserit, conquirō? nonne maxima sunt ea, quæ plurima pro nostra Repub. nostros ante oculos, his bellis proximis, facinora edidit? Germanico bello, quum omnes in nos aditus effera illa gens tentaret, omni ex parte in nostros fines irrumpere conaretur; Cadubriensi cruento illo prælio non solum compescuit, sed & multa eorum oppida vi cepit: atque eo tandem redegit, ut potius, quemadmodum sua tuerentur, quam, ut aliena invaderent, cogitarent. Atque ipsum illud prælium quomodo gestum est? occupato Cadubrio, perfracta jam Alpium claustra, jam patefactum in nos iter Germanis omnibus credebatur. & profecto, nisi admirabilis quædam viri hujus virtus ipso in tempore subvenisset, turbulentissima tum procella illas res nostræ omnes procubuissent. Magnæ, quæ jam aderant, copiarum in dies augebantur: tota in nos se effusura Germania videbatur, quid hic interea? quum longissime abesse putaretur, ducto magnis itineribus per aspera quædam loca, atque oppleta nivibus, exercitu, qua ne feris quidem unquam aditus patuisset; ita de repente & a tergo, & ab omni parte se hostibus ostendit: ita omnem inclusis fugæ spem interceptit: ut subita illi atque inexpectata re perterriti, nec quid agerent satis scirent, & ad unum omnes, ne nuncio quidem cladis relicto, cæsi sint. Sapiens hoc, ac salutare nobis consilium fuit, incredibilis celeritas. quum in omnibus hæc rebus, tum in bellicis multum valet: hac omnibus Cæsar præstitit: plura hæc, quam militum multitudinem, bella confecit. hac noster Imperator nulli secundus inventus est: hac magnis vos sapius periculis liberavit. Ac, ne a Germanis discedam: occupaverant proximo illi anno amoenissimam illam, ac vobis opportunissimam Forojulii regionem: suburbano vos vestro carebatis; possidebant hostes. magnæ equitum, magnæ peditum manus ad portum Narnis coactæ erant. obsidebat Osopium alius exercitus: quod solum op-

pidum *Hieronimi Savorgnani*, fortissimi, atque amantissimi Reipub. hujus viri, virtute defendebatur: magni intererat, priusquam id expugnaretur, & hostium vires coirent, iis, qui ad portum *Naonis* erant, occurrere. quin id ageretur, impedimento *Hispani* erant; qui, quum ad *Ateste* oppidum castra haberent, *Patavii* Imperatorem vestrum morari cogebant: neque is se inde commovere sine magno rerum vestrarum periculo posse videbatur. sed persæpe evenit, ut ea facilius fiant, quæ factu difficillima putantur. consilium Imperator audaciæ plenum capit: omnem spem in celeritate ponit: cum expedita militum manu portum *Naonis* pergit: improvisos hostes occupat: alios cædit: alios capit: urbem recipit: nihil commoratur: magnis itineribus *Opsopium* ire contendit: nescio quomodo elapsus de hac cæde rumor paulo ante, quam nostri adessent, *Germanos*, qui oppidum obsidebant, in fugam vertit: ita illi e nostrorum manibus erepti sunt; *Opsopium* obsidione liberatum. Imperator *Patavium* revertitur. *Hispanis*, discessisse, hostes profligasse, rediisse; simul omnia nunciata sunt; ita nihil in nos moliri potuerunt. multa cogor præterire, ne nimius sim; sed hoc nullo pacto prætereundum est, quod eodem anno in *Hispanos* paucis mensibus post id, quod commemoravimus, facinus, gessit. Totis illis æstivis *Patavio* egressus castra munitis locis habuerat: &, quum eo amplius, ob militum paucitatem, non posset; satis a se fieri arbitratus erat, si hostem præda, ac populationibus prohibuisset. His hoc pacto ductis, quum ad *Rhodigium* jam *Hispani*, & propinqua circum loca, in hiberna concessissent, & hic se tutissimos tum objectu *Athesis* arbitrarentur, tum, quod nostros maxime despiciebant: ut qui nunquam tota æstate, nisi ad tumultuaria bella, castris progressi essent; occasionem sibi oblatam Imperator noster ad egregium aliquid patrandum ratus, magno itinere tota nocte confecto, ignaris hostibus flumen superat: securos, ac nil tale suspicantes de improvise aggreditur: *Rhodigio* nullis resistantibus potitur:

tur: partim obtruncat: partim capit. sic callidissimam illam gentem fefellit. Quod nisi militum lassitudo, quam longo, ac præcipiti ex itinere contraxerant, fuisset impedimento; omnibus, qui vicinis erant in oppidis, deletis, jam tam ab *Hispanorum* jugo nostras has regiones liberasset. Multa præter hæc proferre possem, sed historiam non scribo. virtutes maximi hujus Imperatoris mihi strictim percurrendas sumsi. ac jam factis ostendisse videor, neque in deliberando consilium, neque in agendo industriam in eo unquam desideratam. Sed quum hæc in Imperatore necessaria sunt, tum id etiam opus est, ne in gerendis negotiis ulli se labori subtrahat, ne pericula declinet; sed his potius se nonnunquam offerat. Mirum est, quam is semper labores omnes non solum non subterfugerit, sed & ultro appetierit. corpore quidem parvo fuit, sed ita tamen a natura compacto, ut laborum omnium esset tolerantissimum. hoc ille, quod a natura habuerat, sic confirmarat, sic exercitatione auxerat, ut unus esset, cui labor omnis voluptas esse videretur. Non illum hiemis, non æstatis vis, non pluvizæ, non venti, non nives, ab incepto unquam ullo retardarunt. juxta omnia patiebatur. labores omnes primus subibat, postremus ab illis desistebat: vel gregarii militis opera nonnunquam, quum id res posceret, fungebatur. hac re fiebat, ut nemo in toto esset exercitu, qui, quum Imperatorem ipsum nulla in re sibi parcentem videret, non, ultra vires etiam, omnia toleraret. Audite, audite, præclaram Imperatoris vestri super hac re vocem, quum sæpe, omnibus jam fatigatis, solus indefessus persisteret, admirantibus iis, qui aderant, dicere solebat: *Non perinde ac militem (ut major etiam ejus sit labor) Imperatorem fatigari. ad militem nihil ex labore aliud, quam lassitudinem, pervenire: Imperatoris laborem magna ex parte levare spe gloriæ, quæ consecutura inde videretur: O vocem magni indicem animi, eximiaz testem virtutis; quæ solam gloriam dignum se præmium arbitraretur. cætera omnia putaret contemnenda!*

At

At vero in periculis subeundis, qua fortitudine semper fuit? in hoc quidem multorum reprehensiones sæpe perpessus est, qui audacius se periculis objicere illum dicerent, quam deceret Imperatorem: cujus consilio potius, quam manu, res geri debeat, sed næ illi parum, quo se is tempore periculis objecerit, considerarunt. Non eo inficias, Imperatoris consilium, militum manum in bello exposci: sed incidunt tempora, quum vel maxime Imperator ipse in hostes irruere, primum se illis opponere debeat: quum scilicet laborat exercitus, quum superiores sunt hostes, nonne id aliquando *Cæsar*? nonne alii sæpe maximi viri fecerunt? at is sæpius, quam alii; sæpius enim adversa laboravit fortuna. An (ut alia præteream) in *Abduensi* illa clade, quum omnes in fugam turpiter versi essent, capiendi tum consilii tempus erat? consilio scilicet inhiberi fuga poterat. & consilium tamen egregium id dici potest, quo usus est: & multis sæpe profuit. in perdita jam re extremum tentavit remedium: expertus est, an, qui aliter sisti non possent; quum solum illum, aut cum paucis pugnantem viderent, pudore adducti in hostem reverterentur. nihil profecit: relictus, vulneribus multis affectus, captus est. at nec medici quidem, quum desperatæ jam salutis ægros curant, & periculosa adhibent remedia, semper proficiunt: at arcei tamen suæ obtemperant, neque reprehendi debent. anceps sit consilium, necesse est, quo profligatis jam rebus succurritur. & nonnunquam tamen bene cedit. Quid proxime? quum conserto jam prælio, ac confecto prope, *Regi* supervenisset: acerrime *Helvetii* incumberent: labarent *Galli*: ita dubia esset victoria, ut inclinata prope *Gallorum* res esset: nondum exercitus noster: ipse tantum, cum iis qui adsunt suis, atque aliis admodum perpaucis, adesset; nonne audax, & periculosum facinus aggressus est? cum paucis illis in confertissimos *Helvetios* irrupit. id tempus exigebat. at irruptio illa *Gallos* restituit, *Helvetios* in fugam vertit, victoriam demum *Regi* faciliorem fecit. Non est, cujusquam

jusquam præstare, quid eveniat: sed, quum nihil eorum, quæ recte æstimanti facienda esse videantur, prætermissum est; quicumque sequatur eventus, laudari is, qui id egerit, debet. Adversam ille sæpe fortunam perpeßus est: nunquam sibi ipse defuit: omnia tentavit, omnia expertus est: nunquam sine vulnere discessit: nonnunquam etiam in hostium potestatem venit. laudari debet, quod intentatum nihil reliquerit: vacare culpa debet, quod successu caruerit audacia. Sed non in hac solum re fortitudo omnis consistit. magnum quidem est res arduas præsentis animo aggredi, periculis se objectare, mortem non timere; sed alia quædam est etiam fortitudo, ex qua hæc ipsa, quasi e radice quadam, pullulat. humana contemnere, casus omnes despiciere, nulli homini, nulli fortunæ succumbere, altiorem animum habere, quam, ut obrui iis, qui in hac vita sunt, fluctibus possit; id demum est vere fortem esse: hoc qui consecutus sit, mirum si pericula, si mortem non timeat. Fuit hæc in Imperatore hoc nostro virtus eximia. humana omnia semper despexit: fortunæ ictus ita excepit, ut animo semper esset erectior: nunquam victus est, quin validior, tamquam hydra quædam, in hostem resurgeret; ut mihi, qui adversam etiam fortunam vicerit, nunquam victus fuisse videatur. Dicit aliquis: spe quadam sustentatus est: nunquam ita est victus, ut se in hostem resumpturum vires non sperarit. Funesto illo prælio, quod ad *Abduam* gessimus, captus est: sine ulla exeundi spe, custodiæ traditus, ibi per quadriennium fuit. quid interea? languori se dedit? magnum illum animum querelarum sordibus inquinavit? nihil minus, videte, quæ tranquillitate fuerit: *rerum suarum commentaria*, aliquot de re militari libros, unum de instruendo exercitu, conscripsit. O fortitudinem animi singularem! quod alii nullis curis perturbati, pacatissimo in otio, jugundissimis in secessibus, omnibus deliciis invitati, vix faciunt. hic quin ageret, non carcer, non mille animum pertentantes curæ, non, qui illum, ne quid scriberet, pro-

prohibebant, custodes, impedimento esse potuerunt: multa scripserunt de hac virtute philosophi omnes: verbis illi, hic vitæ exemplis eam ostendit. nec vero cæteris omnibus minus abundavit. Bellicæ, quas hæcenus diximus, virtutes, speciosæ illæ quidem auditu sunt: nec sine illis magnus existere Imperator potest; sed & aliæ tamen sunt, quæ & maximo illi ornamento sint, & quamvis media in acie non versentur, necessariæ tamen admodum videantur. Ac primum, quanta imperator justitia esse debet? hæc mater virtutum omnium est, hæc regula: sine hac ne latronum quidem cætus perdurare possit. summa in hoc fuit. Duo omnino sunt, quæ justitiam magnopere impedire soleant, odium, atque amor. qui odio adducti nihil injusti egerint, pauci admodum: qui amore, multo reperti sunt pauciores. acriorès enim in bonis viris amoris, quam odii, stimuli sunt. neminem hoc ego unquam amicorum amantiorem novi, neminem, qui suos omnes magis dilexerit; eo usque tamen amore provehebatur, ut, quum sua omnia exposita amicis essent, nulli rei, nulli labori, ut illis obsequeretur, parceret: inter justitiæ tamen fines permanendum sibi esse judicaret. Magna justitiæ pars est pietas. ut ab omni superstitione, sic ab omni impietate longissime absuit. re potius, quam ostentatione ulla, Deos coluit. In parentes is semper fuit, ut, quum puer adhuc esset, nunquam tamen cessandum duxerit, dum *Franciscum* patrem a *Paulo Pontifice Maximo* in custodia jamdiu habitum liberarit. Quum vero ii etiam, qui animos nostros rectis excolunt disciplinis: ii, qui nos instruunt, parentum loco sine habendi; qua pietate *Napolionem Ursinum*, sub quo pueritiam egit, semper prosecutus est? Audivi ego sæpius hujus de illo sermones: ut optimum virum, ut maximum Imperatorem laudabat: cum ipsa antiquitate comparabat: tam libenter, tam copiose, de ejus virtutibus verba faciebat, ut multis, qui aderant, nimius etiam nonnunquam videretur. Fide, quæ fundamentum justitiæ dicitur, qua fuerit, si apud alios verba

ba

ba facerem, mihi vel in primis dicendum esse cense-
rem: apud vos, qui eam experti estis, qui alijs testes
esse debetis, hoc unum dicam: multos vos quidem ha-
buisstis egregios Imperatores: qui tot virtutibus flou-
erit, fortasse nullum. tali fide omnino nullum habui-
stis. non amici illam, non hostes unquam desidera-
runt. Jam ejus liberalitas, oratione mea ut cognosca-
tur, non indiget. tot mihi hujus esse possunt testes,
quot eam experti sunt. omnibus patebat: nulli fons
iste claudebatur. *id vere suum esse, dicebat, quod ali-
cui donasset: id fortunæ injuriis non subjacere: eo se cæ-
teris ditiozem esse ardentissime desiderare.* Multa tum in
privata, tum in imperatoria vita sunt, quæ ab gere-
dis negotiis interpellent: sed majore nihil vi, quam
voluptates. appoluit illas sensibus nostris, quasi titil-
lationes quasdam, natura: his quum indulgemus, quum
frena laxius remittimus, ab omni alia nos abstrahunt
cogitatione. hinc data temperantia est, quæ eis mode-
retur. hæc habenas regit: hæc in gyrum eas rationis
cogit, ac nobis obsequentes facit. hæc in Imperatore
nostro singularis fuit. Venatione tum, quum in otio es-
set, plurimum delectatus est: atque ea quidem varie. quam
robustiore esset corpore, in agrestes suæ ferri, ursos ag-
gredi, in difficillimis quibusque exerceri consuevit. mox
ingravescente jam ætate, leporum venationes, falconum
aucupia, secutus est. his delectatus, cæteras omnes, quæ
corpori, atque animo officiant, voluptates, quantum
potuit, aspernatus est: nunquam in earum potestate
fuit. Epulabatur ille quidem lautissime: plurimi sem-
per cum illo discumbebant: affluabant epulæ omne ge-
nus: nihil ad regium apparatus deerat, id scilicet
splendoris opinabatur. ipse in hac abundantia uno sem-
per cibi genere, & eo viliori, vescabatur. hinc robu-
stum illud, & nullis morbis obnoxium, hinc laborum
omnium patiens corpus: hinc modico satiabatur somno
hinc nunquam hebeti mente erat. Age vero, quæ cle-
mentia, quæ humanitas in illo fuit? in nullo unquam
major. atque hic mihi evellenda quædam e multorum
animis opinio est, quæ e quorundam aut malevol-
rum,

rum; aut res non recte perpendentium sermonibus in-
 hæserat. Crudelitas clementissimo Imperatori objicie-
 batur; quod multos sæpe milites morte multaret: dif-
 ficiles ad eum esse aditus dicebantur, quod ira perci-
 tus semper esset. de crudelitate primum loquar. Ego,
 quum veteres illos Romanos, quum militarem eorum
 disciplinam considero, hac una video cæteris eos gen-
 tibus præstitisse, hac una eo pervenisse, ut iidem im-
 perii, qui ferrarum fines essent. non callidate *Panos*,
 non *Germanos* vi corporis superabant; disciplina una
 erat, quæ invictos redderet. hanc ita tuebantur Impe-
 ratores, ita servabant milites, ut, qui paullulum mo-
 do in ea deliquisset, nulla ei esset pœna recusanda. ob
 hanc *Manlius* ille *Torquatus* filium iussit interimi; &
 quod admirabilius est; filius ipse, qui ad mortem
 ducebatur, quum exercitum pro se in patrem seditio-
 nem parantem conspexisset, conspexit; affirmavitque,
neminem tanti esse, ut ob illum corrumpi disciplina de-
beret. disciplinam ille scilicet, qua patriæ vitam su-
 stentari credebat, vitæ anteponebat suæ. Quid *Appi-*
us Claudius? quid *L. Paulus*? nonne ex iis, qui loco
 cesserant, decimum quemque securi percussit? nonne
 idem mitissimus principum *Augustus*? nonne alii Im-
 peratores multi fecerunt? De *Manlio* non loquor: re-
 liqui omnes severi semper, & boni disciplinæ custodes;
 nunquam crudeles sunt habiti. crudeles habiti es-
 sent, si paucorum quorundam salutem patriæ antepo-
 suissent. Ignari scilicet veteres illi, ac crudeles omnes:
 nos sapientes, ac mites; qui Imperatores nostros, quum
 non decimum quemque, ut illi, sed unum, aut alte-
 rum ex toto exercitu, militaribus præceptis non ob-
 temperantem, pœna afficiunt, crudeles arbitramur. mi-
 rum igitur, si nos exteræ nationes omnes contemaunt,
 nobis omnes insultant. jam in nostros fines, non ut ad
 bellum aliquod periculosum, sed ut ad prædam expo-
 sitam veniunt. Pudet, pudet inquam dicere, omnem
 illam, quæ propria *Italorum* esse dicebatur, virtutem
 amisimus, quod si disciplinam illam veterem sequere-
 mur:

mur: si Imperatores, qui restituere eam jam lapsam cupiunt, non crudales, sed fortitudinis, ac veras virtutis reuocatores, crederemus, non audacius illi in nos irruerent, quam nos illos repelleremus. Semper hic vel in hostes ipsos fuit mitissimus; præter eos, qui in ipso belli furore occidissent, neminem unquam interemit. Si e militibus quempiam aliquando supplicio affecit, deliquerat ille, militares leges contemserat. quod vos, si vestra hæc urbana leges non seruentur, & facitis, & ni faciatis, omnia pessum eant; id in castris, ubi, si non adsit Imperatorum metus, vis dominetur, necesse est, fieri non licebit? solitus est *Lacedæmoniorum dux Clearchus* dicere, *Imperatorem a militibus magis, quam hostem, metui debere.* recte quidem ille: sed ego hostem metuat miles, nolim: Imperatorem, velim. Sed de his jam satis; pauca de iracundia dicam. Irascebat ille quidem nonnunquam vehementius. hoc quum naturæ, quæ ejusmodi erat, ut facile iræ fluctibus effervesceret: tum voluntatis etiam erat. volebat ille irasci (ut aiebat) quod, quum se neque corporis proceritate, neque formæ dignitate quadam a natura honestatum videret; si facilis ac mitis semper fuisset, ne contemtu esset, verebatur: *iracundia armari se, quasi aculeis quibusdam*, dicebat. Sed, ut hæc non probetur ratio, atque iracundiorem illum, quam deceret, fuisse concedam; quid unquam ira perturbatus fecit, quod sedato etiam animo non fecisset? acrioribus usus est verbis: at æqui ac boni terminos nunquam prætergressus est, nunquam in bonos viros exarsit: magnam semper, & justam iræ causam habuit. si ea caruisset, non ille quidem melior fuisset vir, sed omnibus fortasse gratior. atqui, quum ea deseruerat, quam affabilis, quam comis erat? nihil ejus consuetudine jucundius, nihil sermonibus urbanis inueniri poterat. Ingenio vero (ut ad id jam veniamus) tam acri fuit, ut, quum literis paullulum admodum vacasset, tam apte, tam acute, tam cum omnium liberalium artium peritis, quod sæpius facere consueverat, de his ipsis, quæ illorum artibus continentur,

nentur, rebus loqueretur; ut omnia de illis scripta evoluisse, omnia excussisse videretur. qua in re multum eloquentia etiam quadam admirabili adjuvabatur. hujus tantum ex ejus ore flumen profluebat, ut omnes secum, quo vellet, raperet. Audistis vos eum sæpe, Patres conscripti, & ita audistis, ut, quum plurimum ejus oratione delectaremini, animos tamen vestros impelli, atque in illius sententiam non invitos trahi sentiretis. fuit hæc Reip. nostræ persæpe summopere utilis eloquentia, quum apud vos, tum vero apud milites maxime. si ad pugnam cohortandi erant, nemo acrius incitabat: si aliqua de re castigandi, nemo gravius, nemo severius reprehendebat: si consolandi, nemo lenius ægris animis medebatur. Multa jam a me de maximi hujus viri laudibus dicta sunt; neque id tamen, quod maxime ad rem attinet, quantam militaris disciplinæ scientiam habuerit, ullo modo prætermittendum est. Floruit hæc quodam tempore maxime disciplina; tunc scilicet, quum veteres illam *Romani* coluerunt. multi tunc in ea viri excellentes, & clari existerunt: neque id mirum. omne studium, omnem operam in ea omnes collocabant: eam non solum, quod & opes, & honores pareret, sequebantur; sed, quum variis quotidie vexarentur bellis, neque ulla perfrui quiete possent, necessitate etiam quadam ad illam compellebantur. postquam vero omnibus devictis, pax *Italiae* parta: bella aut nulla, aut longe a domo gerebantur; exarescere, ac collabi paulatim cepit. *Hispania*, *Gallia*, *Pannonia*, extremæ cæteræ imperii provinciæ, suis quæque legionibus custodiebantur. hæc, quum in iisdem locis diutius permanerent, in externos mores paulatim mutatae, in his, quæ cuique obvenerant, regionibus, ad hoc usque tempus perseverarunt; disciplinam, assiduis bellis exercitæ, non ex toto amiserunt. In *Italia*; in qua vel nullæ relictæ legiones, vel, siquæ relictæ, longa pace mollitæ, otio se atque inertiae traderunt; omnis penitus evanuit. atque eo tandem ventum est, ut paulo supra nostram ætatem, quoties bella

Italica

Italis gerenda essent, conducendus e *Germania*, aut *Pannonia*, miles esset: *Itali* vel tubarum sonum, atque armorum splendorem reformidarent. nostra demum ætate exaltari aliquantulum sopita illa virtus cepit: sed pauci tamen, qui antiquam illam disciplinam scirent, inventi sunt. Imperator noster quam exacte illam calauerit, vel ex hoc considerato. quum primum Imperator est vester factus, ita corruptum exercitum accepit, ut ad alia omnia potius, quam ad gerendum bellum, idoneus videretur. fecit id, quod in *Africa* *Q. Metellus Jugurthino* bello fecit; arctioribus legum vinculis astringendo, continuis laboribus fatigando, ordini assuefaciendo, gravissimam iis, qui locum desererent, poenam proponendo, ita brevi correxit, ut eo & res vestras acerrime tutatus sit, & egregia multa facinora ediderit, & hostibus, quibus antea contemptui erat, formidabilem reddiderit. Adfui ego nuper, quum per eas iteri faceret regiones, in quibus, quum ob non satis perspectos incolentium animos, tum ob propinquos hostes, multa timeada essent. tam caute incedebatur, ita ordinem servabant omnes, ita ab agmine discedebat nemo, ita vel catones ipsi sub suis signis ibant, ut ego & Reipub. nostræ maxime gratularer, & disciplinam jam antiquam illam restitutam arbitrarer. Jam vero in reliquis artis hujus partibus, expugnandis, defendendisque urbibus, quantus fuit? nolo nunc vobis, ut septimo ab hinc anno *Carmontium*, *Noriciam*, *Tergeste*, *Postoniam*, munitissimas urbes, in ditionem vestram redegerit, commemorare: nemo est, qui nesciat. hoc unum dicam: jam *Brixia*, jam *Verona* potiti essetis, si sævissima id nobis mors non invidisset. Scio quid loquar, conjectura non fallor; nihil illi invium, nihil satis munitum esse poterat: omnes aditus, omnes expugnationum modos, omnes astus norat. Idem, si aliqua defendenda urbs esset, ita omnibus hostium conatibus ire obviam sciebat, ut nihil in eum tentari posse videretur, quod non irritum fieret. Testis mihi sit celeberrima illa *Braccani* oppugnatio, quam ita toleravit, ut, quum urbs

B

un-

undique innumeris *Alexandri Pontificis Maximi* copiis, qui *Ursinum* nomen delere instituerat, premeretur; hic cum quingentis tantum propugnatoribus resisteret; non solum eam tutatus sit; sed &, facta sæpius eruptione, multos trucidarit, tormenta oppugnatoria non pauca abduxerit, ab obsidione desistere demum coegerit. Sed quid ego aliunde testes voco? fatis amplum mihi testimonium præbere urbs una *Patavium* potest. nonne hæc ab *Hispanorum*, ac *Theutonum* impetu conservata, his deinde ab illo aggeribus, his turribus, his fossis munita, ut una omnes omnium undique gentium exercitus, omnem vim, contemnere, ac nostræ non solum *Reip.*, sed totius etiam *Italiae* propugnaculum quoddam validissimum dici possit? nonne id docet: nihil in hac esse bellorum scientia, quod hujus ingenium subterfugerit? Tormentis quidem illis bellicis, quibus nos ita antiquitatem superamus, ut his jam solis prope bella omnia conficiantur; urbes certe nulla re magis aut expugnentur, aut defendantur; non solum optime uti, sed & ea qualia esse, qua ratione fieri deberent, tam exacte norat, ut eorum etiam artifices multa nonnunquam ab eo docerentur. Ex his tot ac tantis, quas de hoc viro commemoravimus, virtutibus, maximam apud suos, maximam apud hostes auctoritatem consecutus est. Atque in secunda quidem fortuna maximi ab hostibus fieri & usitatum, & non magnum est. Hic, quum tertio ab hinc anno infeliciter in *Hispanos* ad *Vincentiam* pugnatum esset, & se post incommodum illud *Patavium* recepisset; tantæ tamen apud hostes existimationis fuit, ut hoc uno urbem vobis illam conservatam putem. An creditis, longitudine itineris, viarum asperitate, timore aliquo novi exercitus, quod urbem scirent munitissimam, hostes retardatos? nihil horum fuit. non longe aberant: faciles undequaque accessus erant: omnes vestras vires in eo, quem ipsi fuderant, exercitu positas sciebant: urbs ipsa nondum iis, quibus nunc est, munitionibus erat instructa. quid igitur eos deterruit? unus Imperator vester; unus
in-

inquam Imperator vester vobis eo tempore urbem illam ,
 qua spiritum ducitis, conservavit. Tanti illum faciebant, ut
 ægre se victoriam consecutos crederent : urbem vero, in qua
 ille esset, expugnare, penitus desperarent . Considerate jam
 ea, quæ a nobis hactenus dicta sunt ; nihil huic, quod ad
 optimum virum, nihil, quod ad summum Imperatorem
 constituendum opus sit, defuisse inveniatis, utta defuit for-
 tuna . hæc cum illo acerbissimum semper bellum gessit. vo-
 luit scilicet id verum esse ostendere, quod de ea dici
 solet : *adversam sæpe consilio esse* . nunquam hic non
 optime consuluit : nunquam iis, quæ ad perficiendum
 id, quod consultum est, pertinent, caruit ; bono sæpe
 successu caruit . at hoc quidem præstare potest nemo .
 Majores fortunæ accessione virtutes ejus fieri non po-
 tuissent : illustriores potuissent . nullius unquam res ge-
 stæ Imperatoris, si consilio fortuna subscripsisset, ad-
 mirabiliores fuissent . multis se illa magnis, atque egre-
 gis hujus consiliis opposuit : multas cogitationes ab eo,
 quod destinarat, sæpe divertit . atque, ut alia omnia
 præteream, quis extremo ex hoc actu, cujus maxima,
 ut quis felix, aut infelix dicatur, ratio habenda est,
 non fortunæ in illum injuriam cognoscat ? plurimos to-
 to hoc septennio, quum in misera illa captivitate, tum
 postea adverso hoc ac difficili Reip. nostræ tempore,
 labores pertulerat : cessisse jam tempestas omnis, atque
 inducta quædam tranquillitas videbatur ; parva Regi so-
 cio, atque amico vestro de *Helvetiis* victoria, *Hispa-
 niis* referre pedem coactis, nihil erat, quod a vobis il-
 le, quod a Rege sperare non posset : jam de illius vos,
 de suorum ille militum præmiis cogitabat : quum ecce
 malo quodam fato, non ferro, non tormentorum ictu
 ullo, sed, quod miserrimum est mortis genus, vimor-
 bi extinctus est . O importunam sortem ! o invida non-
 nunquam fata ! quantum aberat, ut *Verona*, ac *Brixia*
 receptis, quod vel solo ejus adventu fieri posse crede-
 batur, nos rebus jam per eum nostris in tuto colloca-
 tis, omnibus eum honoribus, omnibus laudibus prose-
 queremur ? ille gloria quadam immortalis frueretur ? mul-

to tum illi minus acerba fuisset mors. quamquam eam hac animi fortitudine toleravit, qua alia adversa multa solitus est perferre. unicum, & cum nondum bimum, puerum, tres adolescentulas, & egregiæ indolis filias, præclarissimam, ac sui amantissimam uxorem relinquebat: relinquebat hos omnes, qui hic adsunt. hos a parvulis ipse disciplina instruxerat militari, hos, ut filios diligebat, horum opera in multis bellis usus fuerat, neque unquam non fortissimos, ac sui amantissimos viros norat: relinquebat demum hanc nondum in tuto collocatam Rempub. *Non negare se, dixit, ob hæc omnia sibi mortem acerbam esse: consolari se tamen, quod neque orba filiorum ætas, neque vidua, ac sine præsidio futura uxor videretur: vos omnes non ut tutores solum, sed, ut bonos parentes, illos amplexuros, hanc protecturos pro comperto habere. amplissimum hoc patrimonium, firmissimum præsidium esse. Quod vero his suis ea, quæ a se mererentur, præmia reddere non potuisset, id ferre ægrius: eam tamen in vobis prudentiam semper novisse: ut speraret, vos eorum virtutem non parvifacturos, neque ullo sumtui parsuros, ut hoc fortissimorum juventum robur, has vires, Reipub. vestræ, cui magno usui esse possunt, conservetis. ultimum illud, quod, quum adhuc nostra ejus operam desideraret Resp. tum moreretur, id sibi esse gravissimum. Sui quidem nullam curam habere: sexagesimum jam annum compleisse: satis vixisse; post mortem, non dubitare sibi æternam inter Deos sedem paratam, unde hæc humana despiciens, veram illam, ac bonis omnibus affluentem vitam degat. Hæc quum dixisset, iis omnibus, quæ a religione præcipiuntur, peractis, ita tranquille decessit, ut non aliam in vitam, sed aliam in domum commigrare videretur. opinione ego illum sua frustratum non arbitror. inter Deos sedet, pace fruitur tranquillissima, jam felix dici potest; sed illius infelix domus, hæc me dolore conficit, hæc maxime perturbat. minus infelix puer, quod, quum nihil adhuc percipiat. quo patre sit privatus, nescit: an eo fortasse etiam magis infelix, quo minus infelicitatem suam*

suam sentit? infelices certe filiae, quod & id jam cognoscunt, & ea ætate sunt, quæ nullas ad resistendum dolori vires habeat: infelicissima uxor, quæ & filiarum lacrimis affligitur, & quo felicior prius esse omnibus videbatur, hoc acrius dolet. Soli vos, Patres optimi, his omnibus vulneribus mederi potestis. amplexamini totam domum, nullum, quod pios viros deceat, officium prætermittite; sic & illi, si quis mortuis eorum, quæ hic fiunt, sensus est, pergratum facietis: quum sua se spe frustratum non videbit, & vos vestrum munus implebitis, ac grati ab omnibus judicabimini. debetis hoc vos illi multas ob causas, sed ob hanc maxime, quod ob Rempub. vestram obiisse mortem dici potest. dum enim nulla sibi pro illa in re parcat, dum eos etiam, qui tolerari nequeunt, libentissime labores subiti, nullam de salute sua curam gerit; in eum morbum incidit, quo extinctus est. quæ itaque suscipiendorum laborum, eadem mortis causa dici debet. Ei igitur, qui pro vobis mortuus est, reddite, quæ debetis. vitam illi non potestis: ii, quibus maximo emolumento erat, reddite. id ita demum a vobis fiet, si filii mortuum patrem non cognovint: uxor viri præsidium non desiderarit: ipsius ii, qui adsunt, familiares, quæ ab eo sperabant, a vobis fuerint consecuti. Extremum id a me fortasse nunc expectetur, ut hunc, quem ex egregii hujus Imperatoris morte mœrorem in omnibus video, verbis coner mitigare. qui ego id possum? qui ab aliis sim consolandus. Sed abjicienda tamen hæc omnis animi mollities, sumenda illa virtus, qua hic plurimum polluit, ferenda sunt leviter omnia, omnibus est adversis casibus resistendum. Vos quidem qui eum semper secuti estis, qui ejus semper virtutum spectatores fuistis, hoc vel in primis decet. turpe est vobis, qui nullos unquam hostes, nulla tela, nulla mortis pericula reformidastis, nunc dolori manus dare. Induite illam animi fortitudinem, quæ fortissimis, & quales vos estis, viris convenit. an, si vel paucis vobis in confertissimos sit hostes irrumpendum, in instru-

Etissimas mille acies incurrendum, jubente id Imperatore vestro recusetis? novi ego vos, novi animorum vestrorum fortitudinem, novi amorem, quo illum prosequeremini: ne morte quidem proposita abstergeremini. Nunc quum idem ille Imperator vester jubeat, ne diutius doleatis, morem non geretis? jubere autem id illum, si quis totam ab eo actam vitam consideret, si vos præcepta ea, quæ quotidie auribus vestris inculcabat, recordari velitis; ita nulli dubium esse debet, ut hoc uno dolore vestro vel maxime ejus quietem perturbari putem. ferrei profecto fuissetis, neque humani quidquam in vobis fuisset, si, hac tanta calamitate accepta, non ingemissetis. sed jam dolori indultum factis nunc omnem ejus vim in hostem convertite. ite, Reipub. subvenite: eum, quem debetis, imitamini: nolite committere, ut Imperatoris morte languidiorem militum virtutem factam, hostes gaudeant, nos tristemur; ad hoc vos dolor incitet, ad hoc impellat. Vos vero, reliqui omnes, qui adestis, cives, & horum, & aliorum, qui vobis adsunt, virtute confisi, de Reipub. nihil dubitate, & omnem quem ob hanc causam conceperatis, dolorem deponite. illius etiam causa non est, quod doleatis. bene cum illo actum est; ex misera hac vita in æternam illam sublatus, bonis omnibus fruitur. neque vero, quum recte considero, cujusquam mihi descendenda mors videtur; tantumque abest, ut eum, qui ex hac vita celerius commigrarit, infelicem judicem, ut eo etiam feliciorum putem. Siquis sæva quadam in mari existente tempestate, multis simul solventibus, quam celerissime omni ventorum vi, omni pelagi impetu superato, in portum, quo cursum direxerat, provehatur; nonne is felicissime iter suum confecisse dicendus? reliqui, quo diutius commorentur, eo infeliciores habendi sunt? ita profecto se res habet. Simile ego quoddam in vita hac nostra reperio: nihil illa aliud est, quam in procelloso quodam mari navigatio. ægritudines, molliæ, calamitates, adversa alia, quasi hujus vitæ tem-
 pesta-

pestates dici possunt: portus ipse, quo cursus omnibus dirigendus, mors est. cur igitur, qui in hunc portum ex illis fluctibus celerrime navigarit, non eo haberi felicior debeat, quo citius tot malis ereptus in tranquillo constiterit? non probatur hoc ita vobis fortasse, ut felices esse cupiatis. non probetur sane; at eos tamen, qui eo pervenerint, non luctu prosequamini, sed felices ducite: ac, si de vobis bene promeriti sint, non lacrimis, se divinis honoribus, colite.

M. D. XV. Die X. Novembris.

